



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

75. Cum Modoetiæ &c. Decretum quoad cultum Coronæ ferreæ, quæ in
Collegiata Ecclesia S. Joannis Baptistæ Modoetiæ Mediolanen. Diœcesis
asservatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

1716.

fideliū in iis degentiū numero plures Missæ privatae ante celebrationem Missæ Conventualis pro Præcepti adimplemento celebrandæ non desint, sed tamen propterea antiquus mos Communionis Cleri in Missâ Solemni ejus diei, quo Ecclesia Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti institutio, nem, & memoriā recolit, summâ Religione hæctenus observatus, nullo modo, omittatur; Et ita declaravit, ac Decretum hujusmodi publicari, & imprimi mandavit, si Sanctissimo Domino Nostro visum fuerit, Die 12. Septembris 1716.

Factaque per me Secretarium de prædictis eidem Sanctissimo Domino Nostro relatione Sanctitas Sua benignè annuit. Die 27. ejusdem mensis, & anni 1716.

F. Card. de Abdua Præfect.

N. M. Tedeschi Episcopus Liparit. Sac. Rituum Congreg. Secr.

D E C R E T U M

XXV. Super extensione Officii, & Missæ Sanctissimi Rosarii ad Ecclesiam Universalem.

Urbis, & Orbis

Cum aliis fel. rec. Gregorius Papa XIII. attentè considerans celebrem Victoriam, quam Christianorum Classis in virtute Domini Dei Sabaoth decertans, sub san. mem. Pio PP. V. ejus Prædecessore non longè à Corinthiaco sinu, die 7. Octobris MDLXXI. quæ eo anno prima Dominica ejusdem Octobris fuerat, de Classe Turcarum, numero licet longè superiore, & præteritis elata Victoris mirabiliter reportaverat, eadem planè die contigisse, qua Sodalitates omnes sub Invocatione Sanctissimi Rosarii (quod etiam Pfalterium Beatissimæ Virginis Mariæ nuncupatur) per universum Terrarum Orbem erectas, juxta earum laudabilia instituta, & consuetudines processionaliter incidentes, devotas ad Deum preces effudisse compertum erat, adeoque pie credi poterat, preces hujusmodi per intercessionem Sanctissimæ Virginis ad dictam Victoriam consequendam plurimum profuisse; ad illius memoriā perpetuè conservandam, agendaque eo nomine Omnipotenti Deo, ejusque Gloriosissimæ Genitricis perennes gratias, per suas litteras de prima Aprilis 1573. expeditas decreverit, ut ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus quâlibet primâ die Dominicâ mensis Octobris per Universi Orbis partes, in iis videlicet Ecclesiis, in quibus Altare, vel Capella ejusdem Rosarii foret, ab omnibus, & singulis utriusque sexus Christianis festum solemne sub nuncupatione Rosarii hujusmodi sub duplici majori Officio, ad instar aliarum solemnium Festivitatum celebraretur, & sanctificaretur, eaque die Offitium de eadem Beatissimâ Virgine novem Lectionum more Ecclesiastico persolveretur, & recitaretur. Subinde verò rec. mem. Clemens Papa X. ad pias, devotasque preces clar. mem. Mariannæ, dum vixit, Hispaniarum Reginae Catholice tunc Viduæ, per similes suas in forma Brevis litteras die 26. Septembris 1671. expeditas indulserit, ut Festum solemne Rosarii à memorato Gregorio, XIII., sicut præmittitur, institutum ab omnibus, & singulis utriusque sexus Christianis tam Sæcularibus, quam Regularibus qui ad horas Canonicas tenentur, in omnibus Ecclesiis Hispaniarum, aliorumque Regnorum, Provinciarum, ac Dominiorum Regi Catholico subjectorum, etiam

in dictis Ecclesiis non adesset Altare, seu Capella ejusdem Rosarii, celebraretur cum Officio, ac Missâ propriis, & aliis, prout in ambabus Apostolicis literis supradictis uberius continetur. ac successivè ejusmodi Indultum diversis temporibus à Sacra Rituum Congregatione ad plures tam intra, quam extra Italianas Provincias, Ditiones, Civitates, & Dioceses pari modo extensum fuerit. Cumque postea eadem Congregatio ad enixas clar. etiam. mem. Leopoldi dum vixit, Romanorum Regis Imperatorem electi, humilisque P. F. Antonini Cloche Ordinis Prædicatorum Magistri Generalis supplicationis, piæ mem. Innocentio Papæ XII. porrectas, & ab illo ad dictam Congregationem remissas, in eaque ab Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Card. Barberino relatas Officium, & Missam Sanctissimi Rosarii hujusmodi die ipsius festo ad Universalem Ecclesiam absque ullâ restrictione extendi posse censuerit, si ita eidem Innocentio XII. placuisset; Verùm hujus Decreti relatio memorato Innocentio XII. ob superventam ejus infirmitatem, ac deinde secutum obitum fieri nequiverit: Sanctissimus autem Dominus Noster Clemens Papa XI. ejus Successor quamcunque hac in re resolutionem hucusque distulerit; Novissimè Sanctitas Sua animadvertens nuperam insignem Victoriam ab Exercitu Augustissimi Caroli VI. similiter Romanorum Regis in Imperatorem electi de innumeris Turcarum copiis in Hungaria relata, die 5. Augusti proximè præteriti, hoc est, Festo Dedicationis S. Mariæ ad Nives, ac eo fermè tempore, quo Confratres Sodalitatis Rosarii publicam Processionem in hac Almâ Urbe, magno Populi concursu, & singulari devotione peragentes, pias ad Deum preces pro Turcarum depressione effundebant, atque ad id validissimum Deiparæ Virginis patrocinium in auxilium Christianorum humiliter implorabant, obtentam fuisse: Nec non insuper perpendens Civitatem, & Arcem Coreyrensem paulò post, videlicet in Octavâ Festi Assumptionis Sanctissimæ Virginis prædictæ ab immanissima eorumdem Turcarum oppugnatione feliciter liberatam fuisse: ab eoque nedum præclara hæc beneficia ejusdem Deiparæ, ut pie credendum est, intercessione Nobis à Domino collata fuisse, verum etiam sub illius præsidio (præsertim Christi-fidelibus Rosarium, prædictum, juxta adhortationes dudum jussu Sanctitatis Sææ factas, quotidie, ac devotè recitare pergentibus) feliciores in dies eventus Christianis armis sperari meritò posse: ut corda Fidelium erga ipsam Gloriosissimam Virginem vehementius inflammentur, gratiarumque coelitus concessarum memoria nunquam extinguatur, Decretum Congregationis prædictæ benignè approbavit, ac Officium proprium sub ritu duplici majori, nec non Missam Rosarii die illius Festo, nempe Dominicâ primâ Octobris, ab Universis Christianis fidelibus, qui ad Horas Canonicas tenentur singulis annis recitari, & respectivè celebrari, ac in Breviario, & Missali Romano apponi mandavit Die terciâ Octobris 1716.

F. Card. de Abdua Præfectus.

N. M. Tedeschi Ep. Lipar. S. Rit. Cong. Secr.

D E C R E T U M.

XXVI. Quoad cultum Coronæ setræ, quæ in Collegiata Ecclesiâ S. Joannis Baptistæ Madoetæ Mediolanæ, Diocesis asservatur.

Cum Madoetæ in Ecclesiâ Collegiata S. Joannis Baptistæ ab antiquissimo tempore inter cæteras

Sancto-

1717.

Sanctorum Reliquias Corona Ferrea, uno ex Clavis Domini Nostri Jesu Christi, ut piè creditur, in laminam, sive circulum compacto exornata affervaretur: Cumque Anno 1687. D. Tanchredinus Visitator cultum eidem Coronæ antea præstitum, quousque à clar. mem. D. Card. Vicecomite tunc Mediolanen. Archiepiscopo, aliter decerneretur, Decreto suspenderit; idem verò Cardinalis Archiepiscopus rei gravitate perpensâ anno 1688. recursum ad Apostolicam Sedem habendum esse, ab eaque decisionem expostulandam edixerit; Modoetienses verò actis nonnullis in Curia Archiepiscopali tunc peractis usque modò siverint, ac solummodo tribus ab hinc annis Sac. Rituum Congregationi pro prædictâ Decisione supplicaverint: Hinc audito prius R. P. D. Calcho Episcopo Lucano, tunc Vicario Capitulari Mediolanen. deinde verò Eminentissimo, & Reverendissimo D. Cardinali Odeschalco moderno Archiepiscopo Mediolani, ac postremò tam in voce, quàm in scriptis R. P. D. Prospero de Lambertinis Fidei Promotore; Eminentissimus, & Reverendissimus D. Cardinalis Ptolomæus in infrascripta dubia declaranda proposuit, videlicet:

Primum. *An Capitulo Collegiata S. Joannis Baptistæ Modoetia liceat Coronam Ferream, de qua agitur, retinere intus Crucem, in qua fuit reposita, insimul cum aliis Reliquiis, & publicè Venerationi exponere & quatenus negativè.*

Secundum. *An saltem eidem Capitulo liceat idem Coronam Ferream exponere in Altari Majori; & processionaliter deferre, prout olim practicabatur, in casu &c.*

Et Sacra eadem Congregatio re maturè discussa, visisque eorum juribus, respondendum censuit.

Ad primum *Affirmativè.*

Ad secundum *Provisum in primo, & ita declaravit. Die septimâ Augusti 1717.*

Et factâ deinde per me Secretarium de prædictis Sanctissimo D. N. relatione, Sanctitas Sua benignè annuit. Die 10. ejusdem mensis, & anni 1717.

F. Card. de Abdua Præfect.

N. M. Tedeschi Episc. Lip. S. Rit. Congr. Sec.

D E C R E T U M

XXVII.

Extensionis Officii S. Spiridionis Conf., & Pont. cum lectionibus propriis, & Oratione de communi sub Ritu semiduplici ad universam ditionem Serenissimæ Reipublicæ Venetæ.

AD pias, enixasque preces Serenissimæ Reipublicæ Venetorum per Excellentissimum Dominum Nicolaum Duodo apud S. Sedem Oratorem Ordinarium Sanctissimo D. N. Clementi XI. porrectas, quibus Sanctitati Suae humiliter supplicabatur, ut ipsa Officium cum lectionibus propriis pro festo Sancti Spiridionis Conf. & Pont. alias die 23. Novembris anni 1602. à Sacra Rituum Congregatione pro Civitate Corcyren. approbatis, & PP. etiam Congregationis S. Philippi Neri Urbis, & Civitatis Neapolis die 22. Augusti 1699. concessis, in posterum in memoriam insignis liberationis Civitatis, & Insulæ Corcyren. ab arctissima Turcarum obsidione die 14. Decembris in festo dicti Sancti ad universum Clerum totius Domini ipsius Reipublicæ extendere dignaretur, illasque à Sanctitate Sua ad Sacram Rituum Congregationem remissas; Sacra eadem Congregatio ad relationem Eminen-

tissimi, & Reverendissimi Domini Cardinalis de Abdua, audito prius R. P. D. Prospero de Lambertinis Fidei Promotore, lectiones prædictas cum oratione de communi singulis annis in Officio diei festi ipsius Sancti sub Ritu semiduplici ab omnibus Christifidelibus utriusque sexus totius Domini supradictæ Reipublicæ recitari posse concessit, si Sanctissimo Domino Nostro visum fuerit. Die 12. Junii 1717.

Factaque &c. Sanctitas Sua benignè annuit. Die 14. ejusdem mensis, & anni.

F. Card. de Abdua Præfectus.

N. M. Tedeschi Episc. Liparis. Sac. Rituum Congr. Secret.

D E C R E T U M

Quo declaratur Confessariis; & Cappellanis Monialium licere Missas celebrare Sanctorum, de quibus ipsæ recitent Officium, sed cum Missali Romano, & de communi, non verò Missas proprias eorumdem Sanctorum variis Ordinibus à Sacra Congregatione concessas.

XXVIII.

Supplicantis, frequenter Sac. Rituum Congregationi peritque variorum Ordinum Monialibus, ut Confessario, & Cappellanis earumdem servitio additis facultatem celebrandi Missas Sanctorum, de quibus prædictæ Moniales Officium recitant, benignè impertiri dignaretur; Sacra eadem Congregatio ad occurrendum his, & similibus Instantiis præfenti Decreto generali declarat: Licere in posterum tum Confessario, tum Cappellanis tantum quarumcumque Monialium servitio additis Missas Sanctorum, de quibus ipsæ recitent Officium, celebrare, sed cum Missali Romano, & de Communi, non verò Missas proprias eorumdem Sanctorum variis Ordinibus à Sacra Congregatione concessas. Et ita decrevit, & servari mandavit. Die 20. Novembris 1717.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctissimo D. N. relatione, Sanctitas Sua benignè annuit, & præfatum Sac. Congregationis resolutionem confirmavit. Die prima Decembris ejusdem Anni 1717.

F. Cardinalis de Abdua Præfectus.

N. M. Tedeschi Ep. Lip. S. Rit. Congr. Secr.

D E C R E T U M.

Elevationi Officii S. Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis à Ritu semiduplici ad duplicem, cum præcepto, quòd in illius Missa dicatur etiam *Credo.*

XXIX.

Urbis, & Orbis.

AD pias preces Serenissimi Jacobi III. Magnæ Britanniae &c. Regis Sanctissimo Domino Nostro porrectas, & à Sanctitate Sua ad Sac. Rituum Congregationem remissas, in eaque per Eminentissimum, & Reverendissimum Dominum Cardinalem Gualterium Regni Angliæ Protectorem relatas, Sacra eadem Congregatio Officium S. Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis, & Angliæ Primatis, alias sub Ritu semiduplici de præcepto die ejus festo 21. Aprilis pro Ecclesia Universali recitari concessum, in posterum ab

omni-